

medicaminibus adeo magnum obtinent locum, ut per sese uino ipso remedia sint.

IV (2). Genera uitium numero comprehendi posse 20 unus existimauit Democritus, cuncta sibi Graeciae cognita professus ; ceteri innumera atque infinita esse prodiderunt, quod uerius apparebit ex uinis. Nec omnia dicentur, sed maxime insignia, quippe totidem paene sunt quot agri, quam ob rem celeberrimas uitium aut quibus est aliqua proprietate miraculum ostendisse satis erit.

Principatus datur Aminneis firmitatem propter 21 senioque proficientem uini eius utique uitam. Quinque earum genera. Ex iis germana minor acino melius deflorescit, imbres tempestatesque tolerat, non item maior, sed in arbore quam in iugo minus obnoxia. Gemellarum, quibus hoc nomen uuae semper gemi- 22 nae dedere, asperrimus sapor, sed uires praecipuae ; ex his minor austro laeditur, ceteris uentis alitur, ut in Vesuuio monte Surrentinisque collibus, in reliquis Italiae partibus non nisi arbori accommodata. Quintum genus lanatae ; ne Seras miremur aut Indos, adeo lanugo eam uestit ; prima ex Aminneis maturascit ocissimeque putrescit.

Proxima dignitas Nomentanis, rubente materia, 23 quapropter quidam rubellas appellauere uineas. Hae